

## DE E DELPHICO

Multifariam a viris doctis iam antiquorum temporum indagatum atque inquisitum est quid sibi voluerint, qui Delphici templi portae inscripserint illam litteram *E*, de qua Plutarchi extat dialogus *περὶ τοῦ ΕΙ ἐν Δελφοῖς*, ubi *ει* illud non *δίφθογγον*, sed *φωνήεντα* significat *E*. Frustra altercantur inter se Ammonius, Lamprias, ipse Plutarchus, alii, sed notionem, qua acquiescamus, non enucleant. Lamprias de numero quinario, qui Graece *πεμπτάς*, hallucinatur<sup>1)</sup>. Nequaquam vero de numeris ullo ibi modo cogitandum est, ita ut cadat Lampriae coniectura. Ammonius autem orantium precatationes et vota hunc fere in modum contendit incipere: 'Utinam contingat mihi', vel Graece: *εἰ γὰρ ὄφελον*, unde *εἰ* illud vel *E* derivatum sit. Ne id quidem probabile, nec potiora sunt, quae ceteri proferunt apud Plutarchum. Recentiores quoque tenebris eius inscriptionis dissolvendis operam dederunt<sup>2)</sup>, velut Roscher, qui *εἰ* illud imperativum esse et 'intrato' fere vel 'introito' vel 'abi' significare credit, vel Lagercrantz, cui *E* illo idem quod *ἦ* vel Latine 'dixit' exprimi videtur, quarum enodationum neutra placebit. Cur enim cuiquam ut intraret vel abiret imperaretur minime apparet, quoniam cuilibet facillimus ad oraculum aditus erat neque quisquam exire cogebatur. Altera autem interpretatione, qua numen iam locutum esse exprimitur, nescio an cuiquam satisfiat. Etenim si modo iam locutus est Apollo, quid ultra quaerendum vel consulendum? Habetur responsum, quiescat oraculum, causa dicta est. Si vero nondum respondit, quid sibi vult *ἦ* illud?

Ignitur *ἀνιγματώδες* illud *E* obscurum remanet vel potius remaneret, nisi in mentem veniret, oracula cum omnia tum Delphicum inde ab antiquissimis temporibus principatum quendam totius Graeciae obtinuisse et cum barbarorum cultu

<sup>1)</sup> Cf. Plutarchi de defectu oraculorum 31.

<sup>2)</sup> W. Roscher, Philol. 1900. Lagercrantz, Hermes 1901; cf. Riv. di filol. 1915, 106.

et divinatione familiaritatem quandam prae se tulisse. Barbarorum autem nulla gens a Graecis prius cognita vel expressa videtur quam Babylonii et Assyrii, qua de re H. Winckler multus erat<sup>1)</sup>. Copiosissime nuper de toto hoc loco egit A. Jeremias<sup>2)</sup>. Quare dubitarim an eiusmodi rivulo quodam rerum veritatem assequi possimus. Iam vero Jeremias, quo nemo nostrae aetatis rerum Babyloniarum peritior sit, interroganti mihi scribit, *E* in Sumerorum lingua idem esse quod aedem vel cameram vel domum id quod sescenties in Sumerorum inscriptionibus inveniatur. In libro illo autem<sup>3)</sup> large exponit, aedem antiquitus non domum vel domicilium esse, sed templum. Romani quoque aedem et cellam et templum dicebant. Templum autem a Sumeriis *E* voce iterum atque iterum appellari idem ille inscriptionum peritissimus vir doctus contendit. En habemus, ni fallor, nodi explicationem. Nisi forte meliorem quis ἀπορίᾳς illius enucleationem indagarit, e Babyloniorum ritu illud *E* Delphicum derivatum putarim<sup>4)</sup>, quoniam *E*. Forrer satis demonstrasse videtur, Graecorum et barbarorum necessitudinem multo artiozem et firmiorem fuisse, quam quisquam viderit. Ceteris igitur rei obscuritatem desperantibus, equidem hanc ausim proferre coniecturam, *E* nihil significare nisi templum, gratoque animo, si quis meliora attulerit discam et me libentissime redargui patiar.

Berolini.

C. Fries.

<sup>1)</sup> Altorientalische Forschungen, et: Mitteilungen der Vorderasiatischen Gesellschaft, passim.

<sup>2)</sup> Handbuch der altorientalischen Geisteskultur<sup>2</sup>, Leipzig 1929.

<sup>3)</sup> p. 395 sqq.

<sup>4)</sup> Apud Plut. de Ei ap. Delph. 4 Χαλδαῖος ξένος citatur, qui de eadem re dissernerit.